

Q. N. 351, 48.

II f
1567

X 2316444

METAPHYSICAM
A
LEGVM CVLTORE
NON CONTEMNENDAM ESSE
ASSERIT
SCHOLASQVE IVRIS PRACTICAS
INDICAT
IO. CHRISTIANVS HEDLERVS, D.



METAPHYSICAM
A
LEONAM CALTORE
NON CONTINENDAM ESSE
SCHOLASQUE IUS PRACITIAS
IN
IO. CHRISTIANUS HEDEBRAND

UNIVERSITÄT
HALLÉ



Metaphysica, vel propter hoc ipsum nomen, quod ex lingua graeca originem suam trahit, invisā, multis exosa reddita est. Satis dura sunt, & stylo maxime satyrico prolata, quae ex Schuppio recitantur a THOMASIO in *Annotar. ad Offi. testam. p. 310.* sequentem in modum: Zwar daß die Metaphysica, Regina illa scientiarum, wie die Philosophi auf Universitäten reden, ihr Scepter, Thron und Cron den teutschen Universitäten in Verwahrung geben habe, kan ich nicht läugnen. Und wehe dem, welcher in Teutschland fort kommen will und nicht diese Königin anbetet, und ihr Geschenk bringet, gleich wie die Königin aus Reich Arabia als sie den weisen König Salomo besuchte, welcher reden konte von Cedern in Libanon bis an den Isp, der aus der Wand wächst. Wenn Hannibal der berühmte und tapffere Held zu Carthago die Methaphysic nicht gelernt hätte, so hätten die Römer ihm die Feige gebothen. Allein er war auf der Universität Cöln gewesen, und hatte bey M. Ortwinio die Metaphysic gelernt, und konte Disputiren von den heilsamen Fragen: *Utrum esse essentiae distinguatur ab esse existentiae?* Er konte reden de relationibus, & de praedica-

mentoribus, & utrum Deus in firmamento sit in aliquo prædicamento. Dadurch wurden die Römer gebrüet, und es entstand eine solche Furcht in Rom, daß die Kinder auf den Strassen lieffen und schrien: Hannibal ante portas! Pompejus würde nimmermehr der grosse Pompejus genennet worden seyn, wenn er nicht zu Cöln bey M. Ortwinio gewesen, und die Metaphysic gelernet hätte. Allein er wuste was vor ein Unterschied sey, inter notiones primas & secundas, und darum machte er dem Julio Cæsari so viel zuschaffen. Wenn Paulus die Metaphysic nicht gelernet hätte, wie wolte er so schöne geistreiche Episteln geschrieben haben, die mit aller Welt Gold und Diamanten nicht zu bezahlen sind. Die Metaphysic, illa Regna scientiarum, hat vielleicht ein grosses dabey gethan. Salve Metaphysica Regina scientiarum! Ich ehre dich nur um deswillen, weil dich andere Schul-Züchte ehren. Ich erinnere mich aber allezeit dabey, daß einmahls ein grosser Herr zu mir gesagt habe: Es sey kein schädlicher Mann jemahls auf der Welt gewesen, als Aristoteles, denn, sagte er, Aristoteles hat gemacht, daß wir in den Schulen so viele Sophisten und in der Kirchen so viele böse Christen haben: Qui malunt disputare quam credere & bene agere. Sentiatur de Metaphysica, quicquid velit, SCHVPPIVS, suoque hic ingenio & ingenio abundet, ne utiquam tamen veritati utilitati que denegandum est patrocinium. Et tantum abest, ut explodendam hanc disciplinam cum SCHVPPIO, cum GVILIELMO AMESIO, statuamus, aut etiam civili simpliciter postponendam Doctrinæ cum JO. FRID. HORNIO in *Proem. Polit. p. 45.* præpostere putemus; ut eam potius Aristoteli ἀρχικωτάτην ἢ ἀρχιτεκτονικωτάτην esse facile largiamur, quæ merita, ut ἀρχικωτάτη τῶν ἐπιστημῶν ἢ μᾶλλον ἀρχικὴ τῆς ὑψητέρας, Princeps, Regina, ac Domina scientiarum, appelletur. Salve itaque Methaphysica, & ita salve, ut omnes intelligent,

ligant, a mente Schuppil nostram esse alienam, dum scribit: *Ich ehre dich nur um deswillen, weil dich andere Schul-Füchse ehren.* Novimus enim, quod præstes insignem utilitatem in omnibus scientiis & facultatibus superioribus. Consideras ens non in particulari, sed ens universale, & sub illo omnia in particulari. Exponis, quid causa, & causatum, quot sint causarum genera, quæ omnia cum sint universalissima, tum in omnibus scientiis locum inveniunt. Singula scientiarum percurrere genera, & in quolibet quam præstes utilitatem demonstrare, nec nostri est instituti, nec partium nostrarum; id tamen asseverare non reformidamus: & in jurisprudentia te invenire locum, legumque Cultori perutilem ac necessariam esse. Eo enim quilibet legum Cultor tendit, aut tamen tendere debet, ut non aliquam modo cognitionem, sed verum cuiusque materię juridicæ notitiam sibi acquirat. Hic quam utilis sit, quam necessaria, Metaphysica, suo comprobarunt exemplo Doctores Juris, qui in suis systematibus & compendiis jurium materias secundum quatuor causarum genera proposuerunt, id quod constat ex Wesenbecio, Collegio Argentoratensi, Eckolto, Struvio, Lauterbachio & aliis. Hi omnes norant, quod scire, teste Philosopho, sit, rem per causas demonstrare. Nec inique fecerunt. Jurisprudentiam enim si contemplemur *docentem*, nec disci recte, nec explicari fundamentaliter tum quoad præcepta, tum quoad controversias, potest, sine *principiorum terminorumque Metaphysicorum* notitia: quos qui addiscere usu cupit, egenam certe ac jejunam atque infirmam seramque sapientiam laboriose indagat. e. g. Deficiente consensu, deficit matrimonium, *C. I. X. de spons. inter infantes prohibet*: Amissa civitate patria quoque potestas amittitur, *§. I. Inst. Quibus mod. jus patr. potest. solv.* Ubi heredis nulla est institutio,

ibi nullum est testamentum, *L. 1. §. 3. ff. de vulg. & pupill. substit.* Pactum de dote cessat, si matrimonium cessat, *L. 1. C. de condit. ob caus.* Canon enim est: *Cessante causa, cessat effectus.* Quo canone nullus est alius, qui plus habeat utilitatis in negotiis forensibus judicandis, si TIRAQUELLO credimus. Sed tamen plus valet de causa finali, quam impulsiva; Excipiuntur etiam causa contingens, seu non necessaria & occasio. EVERHARDVS in *Loc. Top. c. 10. n. 5.* TIRAQUELL. *limit. 6.* Similiter canon est: *Causa potentia sumi ab effectus efficacia solet.* Nam exitus acta probat. Hinc si vulneratus mox decedat, absque intervallo longiore, præsumitur ex vulnere decessisse, *l. 16. §. 8. ff. de pen:* Excipiuntur autem causæ remotæ, *l. 15. §. 1. ff. ad L. Aquil.* Disceptatur acriter, *sic ne scriptura de forma legis?* Affirmant multi, negant multi. VAL. GVIL. FORST: *Disp. 1. qv. 34.* distinguit inter formam essentialiæ & existentia, vel, ut communiter loquuntur, internam & externam. Sic etiam testamenti formam internam tribuunt heredis institutioni; externam, testium & similibus solennitatum usurpationi. Ac patet inde, quid sentiendum de illo: *non servata forma corrumpit actio.* Accedit, quod neque iudex citationem, neque actor libellum rite concinnare atque formare valeat, nisi utrique constet de causa efficiente, materia, forma & fine. Reus pariter citatus libellum ineptitudinis aut obscuritatis non recte accusabit, nisi probe attendat, num aliquis defectus sublit, quoad causas internas & externas, formam nempe & materiam, causam efficientem & finalem. Hæc & infinita plura alia quis recte intelliget aut explicabit, nisi notitia Metaphysicæ ante imbutus fuerit. *Bene quum distinguitur, bene docetur, & bene discitur,* quomodo longa distinctionum laudatio in Phadro Platonis est, ubi tandem Socrates si nactus fuerit duces, qui recte partiri sciat, seipsius tanquam Dei vestigia secururum esse,

esse, testatur. In Disputationibus vix ullus est Syllogismus, qui, si affirmativus sit, ex terminorum *identitate*; si negativus, ex eorundem *diversitate*, originem suam non trahat. Accuratissime ergo distinguere valebit, quisquis identitatem, diversitatemque rerum prius ex Schola Metaphysica didicerit.

O Metaphysica,

In laudes equitare tuas, spumante caballo,

Arduus inceperit nos stimulare furor.

Sed, & si causam celebritatis habeas, tamen laudi tuæ plura nunc dare retinemur. Chartæ parcendum est, & angustia temporis præsentisque scriptionis finis plura non permittunt, quinimo jam susurrari audimus, assentationem, adulationem, blanditias esse, o Regina scientiarum, quæ de te retulimus. In aurem quasi dicitur: parce verbis lenocinantibus, an ignoras, perfici adulationem tribus potissimum modis, 1) tribuendo alicui bonum, quod tamen non habet, 2) nimium extollendo bonum, quod habet, 3) approbando malum quod habet; an nescis fuisse olim & hodie viros præstantes, qui citra hujus disciplinæ cognitionem in Juris Civilis studio insignes progressus fecerunt. An oblitus es, aut forsitan non legisti, quæ Thomastus aliquo in loco habet, ubi eximium usum Metaphysicæ denegat sequenti modo: HUGO GROTIUS de *J. B. & P. lib. 2. c. 14. seqq.* quæstionem: An actus principis restitutionem in integrum admittunt? per distinctionem inter actus principis regios & privatos decidere allaborat. Sed quid ad eandem distinctionum scholasticarum Patronus quidam commentetur, videamus: *Quæstionem banc, inquit, certe Politici & Juri habent pro una e præcipuis & valde vexatis, nec vero nostri instituti est, banc quæstionem nunc decidere, hoc tamen intrepide asserimus, nobilem significationis FORMALITER ac notio- nis modo explicatæ usum, in hac materia tam ardua con-*
spici

spici posse. Dum enim Hugo Grotius, aliique viri magni nominis distinguunt inter actus principis aut regis, qui regii sunt, & actus ejusdem privatos, quid facilius esse potest, quam doctrinam hanc Politicam RECTE PRIVS PERCEPTAM, his notionibus Metaphysicis explicare, seu quod eodem redit, modo propositam doctrinam Metaphysicam ad hancce materiam decenter applicare. Nam sæpe hæc propositio vera est in SENSU IDENTICO: Princeps contraxit; item: Hic actus Principis erat contractus, ut tamen in FORMALI SENSU ad huc falsi esse possit, si nempe Princeps non ut princeps contraxerit, si actus principis, aut regis considerandus veniat non ut regius, non ut publicus, sed ut privatus, vel quasi privatus actus. Jam quis non intelligit facilius locutionem Grotii. Hic actus principis privatus est, non regius: quam istam Scholastici: Princeps contraxit in sensu identico, non in sensu formali? En egregium usum distinctionis! qui nullus alius est, nisi prius recte percepta fuerit illa Grotii politior doctrina atque distinctio. Certe qui ejusmodi doctrina recte percepta ejusmodi distinctionem Scholasticam quærit, non dissimilis mihi videtur isti, qui vinum in poculo argenteo allatum bibere nolit, nisi afferatur Diogenis poculum ligneum. At enim vero bona verba precamur. Novimus ea omnia, sed novimus etiam, quod multa Metaphysicæ objiciat livor invidiæ. Quod mala habeat doceat Metaphysica, vix statuet quisquam. Utere recte, nec abutere, principis regulisque Metaphysicis, nec genio nimis indulge malo, & mala nulla reperies in Metaphysica. Tributum huic esse disciplinæ, quod non habeat, falsum est. In omnibus enim disciplinis eam præstare utilitatem, assertum verumque est. Nec laudibus magis, quam promerita est, fuit elata. Novimus insuper multos, qui sine Metaphysices auxilio insignes in

in jure progressus fecerunt; credendum tamen, eos, si & ab hac scientia bene parati fuissent, forsitan excellentiores JCTos evasisse, & minori negotio eo, quo voluerunt, pervenisse. Nam ut & is, qui eques viam Romam versus ingreditur, & qui pedes incedit, Romam pervenit, sed ille citius, hic vero serius pervenit: ita quoque qui & hac scientia, qua ad jura civilia opus est, sese rite instruxerit, & qui illius perquam leviter gnarus, aut etiam prorsus ignarus est, ad Juris Civilis cognitionem pervenit, sed ille cum felicius, tum celerius: hic vero infelicius & tardius. Thomasius quod attinet, is eodem in loco, ubi citata habet, Metaphysicam non prorsus contemnit. Ne vero videamur esse adulatores, nolumus esse laudatores. Laudavimus Metaphysicam, sed parce, vituperent alii parcius. Atque ut eo luculentius conser, qua de Metaphysica mens sit nostra, atque ut ne verbis lenocinantibus uti & fuce oblitis, ad gratiam comparatis, videamur, ipsaque Metaphysica ut ne a nobis discedat inflator quam fas est ac volumus, hæc nostra commendatio Metaphysicæ non ita est accipienda, ac si in Jurisprudentiæ cultoribus eam Metaphysices cognitionem desideremus, quæ in Theologo requiritur, sed hoc potius firmiter tenendum, (atque sic commendationem nostram volumus acceptam,) sufficere posse, si legum studiosus præcipuis saltem, iisque utilioribus, materiis & partibus Metaphysices, & potissimum quidem causarum doctrina, instructus, in ceteris autem subtilitatibus securus sit. Namque omnia, quæ hætenus a Scholasticis sub doctrina Metaphysica sunt explicata, cum fructu jurisprudentiæ applicari non possunt, nec omnes distinctiones Metaphysicæ indistincte Juris studio cognitu sunt necessariae. HARTVNG. *Metaph. Jurid. p. 16.* Atque hac de causa, quod ingenue profiteremur, perplacet sententia Magnif. Dn. D. KRAVSII,

B

Præ-

Præceptoris ac Patroni nostri ætatem colendi, quam
habet in *Progr. Ao. 1717.* edito, sequentem in modum;
Metaphysicam etiam nonnulli inter istas disciplinas Philo-
sophiæ referunt, quibus studiosus Juris carere haud possit,
cum non solum ostendat terminos, quibus ut technicus Do-
ctores, in omnibus fere facultatibus utuntur, sed & quam
plurima Juris Systemata Methodo causarum, qua & uti-
tur Compendium Lauterbachianum, quod plurimis annis
in magno pretio apud eruditos fuit, & neglecta hac discipli-
na vix commode intelligi potest, conscripta sint. Quamvis
vero omnis usus huic disciplinæ in studio juridico denegari
haud possit; neque tamen tantus erit, ut multum tempo-
ris in ista consumendum sit; Plerumque enim illi, qui in
explicanda Jurisprudencia, præprimis Romana, obscuras,
barbaras atque ex intimis Scholasticorum meditullis con-
quisitas distinctiunculas corradunt, iisæ ita adimpleti
incedunt, ut, præ iis vix spirare, aut auram ducere va-
leant, nil aliud efficiunt, quam ut Jurisprudenciam, præ-
primis Romanam, & quæ alias jam satis obscura est,
magis adhuc obscurent, quam illustrent, parum conside-
rantes, prudentiam Juris, secundum ipsius JURIS CON-
SULTI ULPIANI effatum, Veram esse Philosophiam,
non, ut pleræque illæ Scholasticorum distinctiones, simula-
tam. Sufficiet hinc Juris studioso brevis & accurata
Metaphysices explicatio, ne nimio tempore in bocce studi-
um impenso nimis serio deprehendat, se non solum labore
suo fere inutili ultra dimidium læsum, sed & omnem in
integrum restitutionem sibi ademptam esse. Placet etiam
hic, prudens monitum, quod hoc loco non præter-
eundum est silentio, DN. CHRISTIANI HENELII in
statua Mercuriali Sect. I. Part. poster. cap. 4. ubi ita:
Absit tamen, ut eandem solertiam, qua forsitan Theologus aut
Schola discens uti debet, & Juris studioso in Metaphysicis
subtilitatibus adhibendam sœdeamus. Potius sufficere ipsi,
dicemus, vel solas acutissimi Stablii Tabulas Metaphysi-
cas

cas' probe imbibisse; securus interim de ceteris subtiliori-
bus Philosophorum controversis questionibus, quarum co-
gnitio parum juvat eos, qui Reipubl. dignitatibus curis-
que civilibus destinantur. Ultra enim progrediendum est,
nisi infundamentis semper malis occupari, nunquam vero
exaedificare, nisi in amoribus Ancillæ Agar nimium hæ-
rere cupias, & ad Dominam Saram tendere negligas,
ut Pbilo loquitur apud Brandes, de vera & simulat. Philos.
p. 95. Quo cum consentit DN. CHRISTIANVS THO-
MASIVS in præfat. ad Annotationes in STRAVCHII
Dissertationes, ubi rejecto abusu Metaphysices inquit:
Juris prudentia Studioso sufficere brevis, sed accurata
explicatio causarum, aliorumque terminorum, antiquis
Philosophis & modernorum venustioribus usitatorum, ut
WESENBECIOS, ECKOLTOS, similesque JCTOS
STRUVIVM, LAVTERBACHIVM &c. qui Jurispruden-
tiæ Civilis Systemata ad methodum causarum tractare
soliti sunt, intelligere valeat.

Verum enim vero hæc scriptio non eo instituta
est, ut perscribamus elogia Metaphysicæ, &, quan-
tam præstet utilitatem, fusius ostendamus, quum, nos de
ea quid sentiamus, breviter dictum, & bene multi
sint, quorum Libri & Schedæ hujus Doctrinæ glori-
am servant; sed ut voluntati quorundam morem ge-
ramus, qui desiderant, ut in nos tradendæ Juris Do-
ctrinæ practicæ, quæ in foro obtinet, negotium sus-
cipiamus. Horum desiderii, si commode fieri pos-
sit, obsequium & observantiam probare, omnino sta-
tutum habemus. Scholas itaque practicas annunciamus
Festo Paschali præterlapsa aperiundas, in quibus Do-
ctrina Juris Practica tradatur. Quam præstet Praxis
Theoriæ nuper a nobis fuit demonstratum. Eo ve-
ro majorem, quo præstantior est & utilior, sibi po-
scit curam & attentionem, in eamque excolendam
studiose danda opera, ut, quomodo negotia in foro

QXII 1567

sint tractanda, sciamus, alias comparemus in iudicio, & risu nos exponimus aliorum, horum etiam interdum, qui, si non ex institutione formali, tamen usu fori bene norunt, quomodo provocatio instituenda, quomodo comparitio partis litigantis sit annotanda, quomodo repetitio libelli fieri debeat, quomodo & quæ documenta sint producenda, quomodo documenti recognitio exigenda, quomodo arrestum, quomodo executio petenda, & quæ reliqua, quæ usus fori postulat, & quæ referri solent ad *Schledrianam*. Atque hunc sæpe melius habent cognitum, quam alii, qui tamen plura scire debebant, & qui quidem fidentiori, quam vires sinunt, sed nihilofecius inflato & tumentis, animo ad iudicium gradiuntur, qui magis affectant, quam tueri possunt, nomen Practici, qui spirant multam eruditionem, & crepant scientiam incredibilem, sed languet iudicium practicum, & sunt hydropicis non absimiles, qui tumore aqueo pinguedinem mentiuntur. Quantum itaque licebit per ingenii vires, perque notitiam, decem annorum Praxi nobis conciliatam, apta concinnaque methodo procul ambagibus salebrisque omnibus, hujus Doctrinæ principia exponemus, ut, nos prodesse velle, intelligant omnes. Nec deerimus iis, qui vel Institutionum vel Juris Feudalis, vel Struviani Compendii expositionem flagitant. Hos vero, qui nos audire cupiunt, volumus rogatos, ut nos in tempore conveniant, quæsumus etiam monemusque, ut frequenti numero conveniant, attentos compositosque animos afferant, & data oblataque excolendæ Praxi occasione quam diligentissime utantur. P. P. Wittenbergæ d. XXVII. Febr. MDCCXXXV.

LITERIS VIDVÆ GERDESIAE.

AL



Q. N. 351, 48.

II f
1567

X 2316444

METAPHYSICAM
A
LEGVM CVLTORE
NON CONTEMNENDAM ESSE
ASSERIT
SCHOLASQVE IVRIS PRACTICAS
INDICAT
IO. CHRISTIANVS HEDLERVS, D.

